

discretè homines sine ullo respectu fidei ad salutem æternam elegisse. Confer. Hütteri L. C. p. 774. Meisner. Anthropol. Dec. 2. p. 247.

Resp. Si vox *omnis* in majore sumitur *pro singulis generum*, tum major negatur: sin autem accipitur in majore *pro generibus singulorum*, & in conclusione *pro singulis generum*, termini mutantur.

Annotatio.

Distributio *in singula generum* est quando *omnis* significat singula subjecto prædicationis contenta individua. ut: *O. homo est animal.* Intelliguntur omnes & singuli homines, nemine excepto. Sic: *O. animal sentit.* Intelligo hominem, equum, leonem &c. & simul Paulum, hunc leonem &c. Scalig. de caus. Lat Ling. l. 4. p. 353.

Distributio verò *in genera singulorum* est, quando particula *Omnis* significat Prædicatum distribui non in singula individua, sed in singulorum genera, h. e. in singulas species. ut: *Christus sanavit omnem mor-*